



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Trecen. Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

rint instituti, redditus ex ea in absentia non percipient, sed tunc solum cum in ea fuerint residentes; cum secundum Trecen. Ecclesiae consuetudines omnes in hoc consueverint esse pares. Statuerunt etiam ut cum singulis praebendis annexa sint vineæ, ipsis suas, dum vixerint, possidentibus, vineæ decedentium ad successores non transeant, sed proventus earum inter singulos dividantur. Cum igitur quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eodem, & sapientis dicat auctoritas, *Patere legem quam tuleris*, fraternitati vestra per apostolica scripta mandamus quatenus antiquos Canonicos junioribus & juvioreis in perceptione fructuum tam praebendarum quam vinearum coaqueatis antiquis, secundum priorem consuetudinem usque ad tempus praedictæ institutionis servatam, vel secundum rationabilem institutionem deinceps observandam, illos per distributionem ecclesi percellentes, si qui duxerint remittendum. Nullis literis &c. harum tenore &c. Quod si ambo &c. alter verstrum &c. Datum &c.

## TRECE N. EPISCOPO.

*Epist. 193.*  
Initia concordie confirmatio apostolica.

**I**ustis petentium &c. usque ad verbum assensu. Compositionem super abbacia Belliloci quoad vixeris ordinanda, inter te ex una parte & dilectos filios Alefnum Abbatem Calmontensem, Robertum & Gervasium Canonicos Præmonstraten. nomine Abbatis & rotius Conventus Præmonstraten. apud Ecclesiam Romanam agentes ex altera, per dilectum filium S. tt. sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem de mando apostolico celebratam, sicut sine pravitate qualibet facta est, & ab utraque parte recepta, & in ejusdem Cardinalis authentico pleniùs continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

## XANCTONEN. EPISCOPO.

*Epist. 194.*  
Ut Prior de  
Prato dilapidator deponatur.

**I**ntra ea per quæ status Ecclesiae vacillat, sepius est causa potior incuria, seu perniciofa negligentia Prælatorum. Nam cum forte caput est languidum, est necesse quod membra languageant: & infecta morbi contagia nec fomentum medendis capiunt, nec pristine possunt de facili restitu sanitati.

Sanè dilecti filij pauperes Canonici de Prato apostolatui nostro significare curarunt, quod cum Petrus nunc Prior ipsorum olim in Grandimotèn. Ecclesia sub religionis habitu per annos plurimos permanisset, arctam tandem devitans regulam, ad ollas carnium redire voluit, & oblitus voti quod fecerat, ad Canonicos se transtulit regulares, & in ipsa Ecclesia de Prato voluit eligi in Priorem. Cumque domus sibi dominium commissum jam esset à fratribus, debacchatur in gregem subditum, nec illorum bona distrahere pertimescit, sed solus fugiens fratrum mensam atque collegium, ab illorum quidem confortio se reddit sepius alienum. Vnde quisque passim ad libitum impune potest excedere, & sic perit honestas ordinis, per quam locus olim floruerat, & vilescit quod carum omnibus religionis hospitalitatisque gratia præpollebat. Addecerunt insuper quod cum domus bona deficerent, plures ibidem canonicare præsumpsit. Laicos etiam contra approbatam Ecclesiae consuetudinem multos intrudere non expavit, sed quod ab eis fuerat elarginatum non tranfundit in usus fratrum egentium, sed malè acquisita juxta motum propriæ voluntatis expedit. Nolentes igitur ut arbor sterilis occupatam diutius terram detineat, fraternitati tua per apostolica scripta mandamus quatenus de veritate praedictorum inquirere non postponas, & si rem noveris ita esse, ipsum ab administratione Prioratus amoveas, & praedictis Canonicis eligendi personam idoneam auctoritate nostra liberam tribuas facultatem, dictumque Priorem, ut ad claustrum praedictum redeat, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas, & cum antiqua sit ipsius Ecclesiae consuetudo, & approbata, ut in singulis officiis singula personæ ponantur, quæ ordinanda videris auctoritate nostra disponas. Nullis literis veritati & justitiæ præ. &c. Datum ut supra, 11. Idus Maij &c.

XANCTONEN. ET MAG.  
P. Petragorien. Archidiac.

*Epist. 195.*  
Ejusdem tit.  
Insinuantibus siquidem nobis argumenta.

**I**ntra ea ut supra usque ad verbum sanitati. Insinuantibus siquidem nobis dil. filii monachis de Brantomo nostro fuit apostolatui declaratum, quod cum Abbatii suo domus dominum &c. usque